



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Metrica Paraphrasis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

## SECTIO SECUNDA.

## ECCLESIASTES.

<sup>a</sup> Caietanus  
interpreta-  
tur homa-  
gium.

VERS. 2. Ego os Regis obseruo, &<sup>a</sup> præcepta iuramenti Dei.

3. Ne festines recedere à facie eius, neque permanes in opere malo : quia omne quod voluerit, faciet :
4. & sermo illius potestate plenus est : nec dicere ei quisquam potest : Quare ita facis ?
5. Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali.

## METRICA PARAPHRASIS.

**V**os æterni ignes, radiatæque mœnia mundi,  
 Vos nigricantis Tanari horrentes specus,  
 Vos sola terrarum porrecta sub ætheris axe,  
 Dignum verendo Numini obsequium date.  
 Auctori natura iubet submittere colla,  
 Samiumque plastæ non reluctari lutum.  
 Hoc mihi fixum animo, nutum obseruare Tonantis,  
 Sanctoque ab ore pendulos vultus gero.  
 Ac velut vndanti pelago deprensa carina,  
 Cum dubia venti bella discordes mouent,  
 Radit iter liquidum facili moderamine puppis,  
 Dubiosque cursus arbitro clauo secat ;  
 Aut plaustrum Arctoum vestigans, lumine signat  
 Quos tollit ignes maior & minor Fera ;

Sic

Sic Helice & Cynosura mihi sacrosancta voluntas  
 Numinis, & isto vita se clauo regit.  
 Sic ratio, sic dia Themis, sic iura reposcunt,  
 Et quod reuinxit nos sacramentum Deo,  
 Ponere vel vitam, tepidoque litare cruore,  
 Uri, secari, fortia facere, & pati.  
 Hic si fors sceleri infensus consurgat in iras,  
 Ne fore saluti crede presidium fuga.  
 Nam quacumque viam cursu ingeniove pararis,  
 Presens tibi restabis, & presens Deo.  
 Languida nocte quies veluti cum lumina pressit,  
 Auidos videmur tendere in cursum pedes:  
 Sed neque prouehimur spatio, gressusque labascunt;  
 Sic te Tonanti nulla subducet fuga.  
 Remigio alarum caput inter sidera conde;  
 Aderit rotator siderum vindex Deus.  
 Abdere telluris gremio, stygiisque cauernis,  
 Telluris implet numine umbrosos sinus.  
 Præpetibus volita pennis ad littora Thules,  
 Illic trementem vindici prendet manu.  
 Fortè caput nobis cupies inuoluere peplo,  
 Nox atra nullas Numini tenebras dabit.  
 Quare age pone modum sceleri, vitamque retexens,  
 Ratione frana mentis indomita impetum.  
 Innocuas cohibere manus, laus prima; nocentum  
 Pudor est secundus, nosse peccati modum.  
 Pone modum sceleri, ne tela Diespiter ira  
 Trisulca vibret ab axe stellantis poli.  
 Hic, vbi collibitum est, nutu percellit Olympum:  
 Nec magè Tonanti facere, quàm velle, arduum est.  
 Hic vbi voce tonat, mox vocem fata sequuntur,  
 Simul vt capebant iussa calicole aduolant:

Pl. 138, 8.

Z z z

Nec

Nec quemquam tam stulta subit fiducia, facti  
 Ut à supremo Rege rationem exigat.  
 Dextram igitur quicumque cupis vitare Tonanti,  
 Vitæque cursum ducere exsortem mali;  
 Auctoris vitæ, licet ardua, iussa capeffe,  
 Et ad obsequendum colla submittas iugo.  
 Sic Pater Isacidum sobolis spem destinat aris,  
 Medio è sopore coniugis linquens latus.  
 Dura quidem, diuina tamen nil territus hausit  
 Imperia, natum victimam secum trahens.  
 At nulla obsequij sensit dispendia natus,  
 Consortis paternæ laudis, & patris decus:  
 Cui melior nata est in mortis limine vita,  
 Sobolisque fœnus victimæ pretium fuit.

## PROSA EXEGESIS.

**D**VO potissimum hinc exemplo suo nobis insinuat  
 Ecclesiastes, quibus diuinæ Maiestatis veneratio,  
 totiusque vniuersi gubernatio continetur, bene scilicet  
 beateque cum illis agi, qui summum illud Numen affi-  
 duè respiciunt ac suspiciunt, eiusque non tantum man-  
 datis, sed etiam nutibus obsequuntur: contra verò infelices  
 esse eos, adeoque seueram vindicis Dei manum ex-  
 periri, qui à Dei conspectu eiusque mandatis auersi, ab-  
 eunt vagi in viam cordis sui.

*Dei nutus  
 obseruandi.*

Ego, inquit, os Regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei,  
 nec potuit melius, quod in Religione Deo debitum est,  
 cultum videlicet latriæ, nobis adumbrare. Notum est  
 enim, Theologos *αὐτοβλάτω* à particulâ *αὐ* & verbo *βλάτω*,  
 quod est *obseruo*, deriuare. Hoc autem frugi seruum de-  
 cet, vt nutus omnes heriles obseruet, adeoque vultum  
 suum ex heri vultu componat, atque ita imperium he-  
 rile